


Joachim Schnobel

Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Joachimus Schnobelius, I. U. D. & Professor, Ab Impiis Bacchanaliorum Feriis Et turpi Luxu Cives Academicos serio dehortatur

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811330>

Druck Freier  Zugang



RU. Progr. 1643

1) Jochim Schnobel

2)

3) Mein. Rakne

4) Joch. Stockmann

PROGRAMMA

Quo

RECTOR

Academiæ Rostochiensis

JOACHIMUS SCHNOBE-

LIUS, J. U. D. & Professor,

Ab

IMPIIS BAC-

CHANALIORUM

FERIIS ET TURPI

LUXU

Cives Academicos seriò dehor-

tatur.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLIII.

Nunquam non dantur inter homines, qui pro vitiosâ sua indole perpetuò BACCHANALIA vivere, quàm continentiam & Sobrietatem colere malunt. Testatus id olim Assyriorum Sardanapalus in illo sic assiduus, ut ne puncto quidem temporis luxuria sensuq; voluptatis carere posset. Cui non absimiles fuere Phæaces, qui perpetuis immersi conviviis in dapum lautitiis & vino vitæ causam posuerunt. Sybaritæ quoq; hoc nomine tot seculis infames passim proponuntur, quod incredibili luxu omnes dies festos agitarint, & una voluptate mensi sint omnia. Nec, quod est hominum passim à labore aversum ad libidinem proclive ingenium, ullus mundi reperitur angulus, in quo non Phæaces, Sybaritæ ac Sardanapalitalis externâ saltem facie homines mentiti, intus verò pecudibus fœdiores delitescant, qui gulæ servitio sese totos ad eò manciparunt, ut quo eam die non explorare potuerunt, illum inter nefastos & atro carbone notandos recenseant.

Quod verò nonnulli degeneres singulis vitæ diebus affectant, frequentant & exercent, id pleriq; omnes non per trieterida, ut Græci, sed annis vertentibus singulis, ubi Quadragesimalis instat devotio, exoptant, & omni velut jure licitum sibi sumunt. Quotusquisq; enim est, cujus animus, licet aliàs benè sobrius, tunc non ardeat flore Liberi Patris genialiter aspergi, & plenis culullis expugnare cum omni sapi-
entiâ

entiã Domini timorem? Qui vix esse lavantur pueri
meros tunc ludos & petulantiam meditantur: Adul-
tiores,

Nunc est bibendum, nunc pede libero

Pulsanda cellus,

ingeminant, quibus senum turba à tenero sic ungui
allueta,

Festo quid potius die,

Nunc Bacchi faciam? prome reconditum,

Lyde strenua cacubum,

Munitaq; adhibe vim sapientia,

succinunt, ac alternis fermè respondent. His verò
proterviores non contenti non convivia solùm &
comestiones adornant, sed omni humanitatis ex-
uto sensu ingenuoq; pudore devorato personatâ fa-
cie lasciviam velare suam, Faunos Satyrosq; salacita-
te sua imitari & propalam turpitudinem ferociendi
ostendere non erubescunt. Quid memorem Centau-
rorum & Lapitharum rixas, quæ oriri exinde solent,
jurgia, vociferationes, & stentoreos clamores, quibus
ipsas Mœnades ac Bacchas extremè lymphatas non
saldem æmulari, sed & superare student? Summa; Sicut
apud Persas Rege mortuo *Ανομία πινθ' ἡμερῶν*, & quasi ju-
stitium aliquod probitatis & vitæ frugi fuit, ita pauci
sunt, qui non per aliquot hosce dies sequentes fene-
stram gulæ ac libidini patefactam, & jus immodestiæ
ac petulantiaæ suæ velur à consuetudine datum arbi-
trentur. Verùm

*Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara moerens
Permittat ratio, vitium pessum dare mentem,
Atque affligere humi divina periculum aure,*

vel ad horam & unicum vitæ momentum? An nescimus hominem æstro cupiditatum percitum & merito ardentem currui aurigâ spoliato similem extra orbitam in præcipitia & voragines vitiorum ac malorum facillimè devolvi? Jam ponamus plurimo tempore Aurigam feliciter gubernasse, ad unum verò saltem momentum abesse, quis nescit eo ipso confestim currum ob ferociam jumentorum & pericula viarum, si non alicunde præceps datus, aut aliquò alius intereat, summè tamen periclitari? Ita certè homo cupiditatibus vino incensus, postquam sede sua mens dejecta vel certè vineta fuit, ad omne genus petulantia, nec rarò rixas & perniciem nullis sæpè lacrymis ac pretio reparandam cum impetu rapatur. Ninus Assyriorum Rex longè potentissimus cum uxoris ambitioni quinq; saltem dies imprudenter indulisset, primo, ni fallor, die impotentia ejus victima fuit. Idem certè si non fatum, tamen subit periculum, quicumq; cupiditati fasces tradit, seq; nutui illius indomito permittit. Rectissimè enim Plato, escam malorum voluptatem, qua, non secus ac pisces hamo, capiuntur quotquot eam immodicè exiguo saltem tempore carpunt, idemq; vel unum saltem diem in voluptate vivere flagitiosum ac homine libero indignum arbitrabatur. Quâ de caussa Lacedæmo-

dæmonii nō nisi mancipiis ac servis hujusmodi Sym-
posia permittebant, quibus illi fracti ac dementati
μωρολογία sua, vertigine, mutuisq; verberibus ac pugnis
ingenuos adolescentes à nefandâ isthac turpitudine
deterrent. Nec enim quod per totam vitam turpe
est, pestiferum, ac periculosum, id exigui temporis
usus à fœditate ac discrimine absolvet.

Sed dices, aliquid tamen consuetudini in universo
orbe, præsertim apud Germanos usitatæ dandū esse.
Pudeat omninò allegare vetustatem erroris illos, qui
orgia ista Bacchi à fanaticis inventa, ab ipsis etiam sa-
nioribus Ethnicis damnata, Christianæ pietati è dia-
metro adversa & contraria esse norūt. An enim, quod
ubiq; mundus exercet histrioniâ, ut ille ait, propterea
veritate dispulsâ strenuè mentiri ac simulare licebit?
Itane multitudo Bacchantium infano huic errori pa-
trocinabitur? Quis unquam sapientum sensit eun-
dū esse qua vulgò itur, & non potius turbam errantiū
aversandā monuit? Nequaquā facere nos improbos
improbitas debet aliena: quia quemlibet hominem
magis sibi præstare convenit, ut sit bonus, quàm al-
teri ut sit malus; & plus id laborandum est, ut Deo pla-
ceamus per honestatem, quàm ut hominibus per im-
probitatem, ut illustris Episcopus Massiliensis ait.
Quis etiam nostrū, quibus doctrina Christi notissi-
ma, ignorat, non in lata & molli viâ deliciandum,
sed per strictam illam, quam paucissimi calcant, in-
cedendum, ac per arctissimam portam in Paradisum

penetrandum esse? Sequere sanè devios, ostenta effron-
tem audaciam, & cū turba vitiorū te magnificè effer,
paullo certè momento cum illis te periisse, & ab abyf-
so infernali absorptum esse serò nimium dolebis.
Non est eundum, quā itur, sed quā eundum; & cū
hodie virtutum nominibus vitia fallant, summopere
cavendum, ne sub istis violis ac rosis latitans anguis
incautos implicet ac occidat. Quæso verò Te, qui ex
Tacito Germanorum nulli diem noctemq; continu-
are potando probrum esse dicis, annon ipsa Tibi di-
ctitet ratio, illud quod exemplo perverso probro
non ducitur, summum nefas ac probrum longè ma-
ximum esse? Si verò Dei duceris Spiritu, fauces vino
ardentes vix minùs quàm ipsas inferni fauces flammī
vomās poteris odisse ac detestari. Qui enim in po-
tu immodico *ἄσωνται* esse dicit, annon ab omni salute
bibulos istos excludit? Qui nos non vino sed Spiritu
Sancto impleri debere scribit, annon Spiritui vinum
velut Deo Cacodæmonem inimicum statuit? An V. *z*
illud, quod insanis potatoribus divinus vates inter-
minatur, ludicrum esse, & non potius æternas secum
ferre pœnas putabis? Et quis neget insaniam potan-
di apud Germanos insanabilem hoc mare malorum,
in quo tot jam annos summâ cum jacturâ rerum ho-
minumq; jactati sumus, & adhuc jactamur, in pa-
triam nostram accelerasse & invexisse? Non refert
oberrare multum per circulos politicos, & in extri-
candis caussis hujus mali inanilogistarum & locu-
tuleiorum

ruleiorum ritu sudare. Illud, illud potandi di rum ne-
fas, quod cum cithara & lyra à summo meridie ad
stellam usq; diurnam exercemus, præ cæteris delictis
tantam in nos iræ divinæ molem, & quas patimur
plagas cumulavit. Nec dubitemus, modò DEI satis
nota sit Justitia, illas adhuc auctum iri, si non sicco
tandem animo à voluntaria isthac insania ad frugem
& sobrietatem sine joco fuerimus conversi. Sed ve-
reor, ne frustra hanc cantilenam surdis occinamus
auribus, & consuetudine heluandi induratos, etiam
ipsis Bacchi sacris ab ineunte ætate initiatos & avidè
imminentes vetando ac monendo potius instige-
mus, quàm ab incæpto deterreamus. Solet enim
(proh cæcitatem!) assiduitas calamitarum augmentū
potius criminum, quàm eorum decrementum esse,
& res moresq; una quasi ruina interire consueverunt.
Interim tamen, licet in Ecclesiis & Scholis hoc agen-
tes soli relinquuntur, tamen est agendum, & morum
ista turpitudine ac luxuria, quæ Bacchanalibus hisce
exerceri solet, summopere prohibenda. Fecit hoc
laudatissima antiquitas, & ut plus efficeret, tempus
illud meditationi acerbissimæ Passionis Domini &
Servatoris nostri destinavit, ut si non monitis & pre-
cibus humanis, cruentis tamen ipsius Filij DEI la-
crymis, quibus tantam improbitatem nostram luit,
ab ea revocaremur. Ferreus enim omninò sit & cor-
de adamantino ingrattissimus, qui à luxuria & impi-
orum feriis non desistat illo quidem tempore, quo

Galatis



salutis suæ auctori nefandum funus paratum fuisse, sanguineum cruorem toto illius corpore stillasse, angorem inferni illum strinxisse, vinculis sceleratorum ligatum, fannis illum, pugnis percussum, flagellis cæsum, spinis sauciatum, manibus pedibusq; perfossis cruci ignominissimæ affixum, animam doloribus exquisitis fatigatam inter preces & suspiria exhalasse audit. Ad tam nefandum & miserabile spectaculum, quod nobis hoc tempore quasi visendum proponitur, cum terra movente petrx scissæ sint, ac Sol ipse radius suis cesserit, adeoq; sub ipso meridie orbem densa caligine involverit, quis nostrum tam esset vecors & insanus, qui lascivire, hosti teterrimo sese dedere, & videns prudensq; in perniciem æternam, à qua redemptus, prono pectore nihilominus præcipitare se vellet? Proinde, quotquot DEI estis metuentes (nam in cæteris corrigendis operam nos ludere jam dudum scimus) quid vestri sit hoc tempore officij, quod humanitas litterarum, honestas morum, calamitas hujus temporis, sanctitas Christianæ devotionis, & Crucifixio Servatoris à vobis requirit, perpendite ac prosequimini: fugite conciliabula bibulorum, comestiones lurconum, scurrilitates bacchantium, rixas temulentorum, larvas, clamores & tumultus grassatorum, & quicquid in contumeliam nominis Christiani Diabolus hoc tempore sub Bacchi cultu cum pomposa hilaritate, infano potandi ritu & effreni joco introduxit ac instruere solet, ejurate. Facite ut Crucifixio CHRISTI in vobis nunc potius crucifigat omne peccatum, quam ut vestris illum vitius, quæ semel patiando expiavit, denuò crucifigatis. Boni obsequentur. Cæteri qui secus egerint, sciant Satanæ sese laqueis constrictos, dum imprudenter in scelera ruunt, vindictam DEI Magistratusq; neutiquam effugituros esse, P. P. XXII. Februarij Anno ∞ IOC XLIII.



piamus & colamus, si præ
lytron, quod in se ipso, redi
lutis causa, persolvit, grat
mus, ac iusta lance ponder
mus. Si seriâ pænitentia cu
Adami exuvias abjiciam⁹, &
novum induamus hominem
tistites sacra facturi *exgēs exgēs*
mabāt, procul hinc, procul
sublimiora nulla sunt sacra,
Genethliaca, quare & hinc p
sacris penitus absint, quomo
fanaturi. Non reperiantur
contemta, vel imprudenter
huic festo debita religione, in
consueverunt, ita & perre
reperiantur qui publicis con
tas horas chartæ, aleæ, comp
pendant, & hoc ipso tempore
te Angelorum choro, illud
EXCELSIS ingeminari pa
& Cyclopicis clamoribus &
bus fora & plateas implent, q
meliorem mentem precamu
madversiones denuntiamus;
submissè invocamus, ut qua



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

m illud
stra sa
gnosca
estime
veteris
n anno
im An
procla
Atqui
dierna
& hisce
a pro
oterve
ammâ
ere, ut
Non
estina
s, im
cinen
A IN
torii
oati
nibus
s ani
UM
nes
cio